

„ signa, seu Sacramenta; *lib. autem de catechizandis rudibus*
 hæc habet c. 26. (a) „ De Sacramento sane, quod accepit,
 „ cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem re-
 „ rum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in
 „ eis honorari. *Epist. autem 166. ad Hieronymum de Sacra-*
mentorum Ministro loquens: „ Si autem, inquit, malus est,
 „ operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam;
 „ ipse autem donat invisibilem gratiam. *Et laud. lib. 19.*
contra Faustum, fidem a Patribus traditam dilucide & ele-
 „ ganter exponit. „ Quorum (Sacramentorum scilicet) vir-
 „ tus valeat plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit.
 „ Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.
 „ Hæc S. Doctor. Jam vero duo hæc Fideles Catholico-Ro-
 mani profitentur, ex C. III. §. I. esse nimirum Sacramenta
 res sensibiles, seu visibilia signa, & gratiam conferre; ea-
 dem erat Ecclesiæ fides tempore Augustini; causam ergo
 vicimus; indefectibilitatem Sanctæ Ecclesiæ agnovimus; de-
 sistant igitur Pseudo-reformati Ecclesiam, Matrem nostram,
 dieteriis, calumniis, & opprobriis incesse.

§. VI. Aliud palmare argumentum ex *Eusebio lib. IV.*
de vita Constantini habemus. Observat eruditissimus Auctor,
 hunc vere pium, & ob insignes animi dotes immortalitate
 dignum Imperatorem, cum extremum vitæ diem sibi jam
 imminere sentiret . . . ad suburbana Nicomediæ digres-
 sum, convocatis Episcopis, sic ad eos verba fecisse: „ Hoc
 „ erat tempus, quod jamdudum sperabam, cum incredibili
 „ cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem
 „ in Deo consequi. Jam tempus est, *ut signum illud, quod*
 „ *immortalitatem confert*, nos quoque percipiamus: tempus
 „ est, ut salutaris signaculi participes fiamus &c. Ex *Eu-*
sebio Cæsareensi igitur tempore Constantini Imperatoris hæc
 erat Ecclesiæ fides, Sacramenta & signa esse, & immortali-
 tatem conferre; eandem porro esse fidem nostram jampridem
 B 2 osten-

(a) Annuens precibus Rogati, Diaconi Cartaginensis, hunc librum scripsit S.
 Augustinus, circa annum Christi 400., ut observat V. C. Petrus Josephus Tricale-
 tius, in *sua Bibl. SS. Patrum t. V. p. 195.*